

roch. par. 1. c. 2. num. 48. (36. Originarius, tamen, et de gremio Ecclesiae, est semper caeteris paribus praefendus extraneo; arg. Regul. 17. Cancellariae de concurrentibus in data, ibi: « Et similiter caeteris paribus oriundus non oriundo, et Diocesanus non Diocesanus praefatur, etc. Nullus dist. 61. c. Hortamur dist. 71. c. Ne pro defectu 61. de election. c. Bonae memoriae Intelleximus de postulat. Praelatorum. Et ratio est, quia indigena praesumitur oppidum, et Ecclesiam magis diligere, et a populo plus amari, quam alienigena, juxta S. Th. 2-2. q. 13. art. 2. ibi: « Ille, qui de gremio Ecclesiae assumitur, ut in pluribus consuevit esse utilior, quantum ad bonum commune, quia magis diligit Ecclesiam, in qua est nutritus. » Et est communis. (37. Immo secundum Barb. p. 3. de offic. et potest. Episc. alleg. 60. num. 102. et plurimos alios ab ipso ibi citatos dignus de gremio Ecclesiae potest eligi posthabito digniore extraneo; arg. c. Nullus 13. dist. 61. ibi: « Tunc autem alter de altera eligatur Ecclesia, si de Civitatis ipsius Clero nullus (quod evenire non credimus) dignus poterit reperiri, » etc. Obitus 16. dist. ead. Ibi: « Commonemus etiam Fratritatem tuam, ut nullum de alia eligi permittas Ecclesia, nisi forte inter Clericos ipsius Civitatis... nullus... dignus... (quod evenire non credimus), poterit inveniri. »

(38. Regulares omnes, quamvis sint canonici, sive Praemonstratenses (1) sive Lateranenses, sive quicumque alii Canonici Regulares, non sunt admittendi ad Concursum Parochialium sine dispensatione Apostolica. Sic expresse declaravit pluries Sacra Congregatio Concilii cum approbatione Sanctissimi. Cum enim, ut refert Fagn. in c. Quod Dei timorem 7. de stat. Monachor. num. 17. fuerit quaesitum: « An Regularis possit praefici Curae animarum ab Episcopo sine dispensatione Apostolica; Sacra Congreg. Concilii censuit non posse, nisi accedente dispensatione, quae non videtur concedenda, nisi instante Episcopo pro necessitate, vel utilitate Ecclesiae. » Et alias consulta: (39. An Ecclesiae Parochiali ex necessitate, nempe ob penuriam Sacerdotum, Regularis perpetuo possit praefici; respondit permitti posse; ita ut deducto victu, quod reliquum fuerit reddituum in utilitatem Ecclesiae, et pauperum convertatur; « Ob id autem necessariam esse hodie dispensationem contra opinionem antiquorum Doctorum, quod ita de stylo servari consuevit. Quod si magis placuerit Sanctissimo, posse quod petitur ad tempus concedi, quod scilicet Episcopus providerit de Clerico Regulari, nihil tamen concedendum, nisi instantem Episcopo pro necessitate, vel utilitate Ecclesiae. » (40. In idemque coincidunt resolutiones ejusdem Sacrae Congregationis Concilii in una Cremonensi 1. Septemb. 1630. et in una Taurinensi relat. a Pignatell. tom. 1. consult. 44. num. 25. quod nullus hodie Regularis absque dispensatione

(1) Hi ad Parochias obtinendas Apostolica facultate non indigent. Vide verb. Canonici Regulares quoad beneficia curata num. 10.

Papae possit obtinere saeculare Beneficium, licet Curatum; et in una Portugallien. 15. Jun. 1632. ubi declaravit Fratres Sacerdotes professo Ordinum Militaris Christi S. Jacobi, et de Avisibi existentium, esse incapaces, absque dispensatione Apostolica, Beneficiorum saecularium cum Cura, et sine Cura, et Canonatus Ecclesiae Cathedralis, ut refert Pignatell. tom. 1. consult. 254. (41. Et etiam similiter declaraverat de expressa mente Sanctissimi de Canonici Regularibus, ut refert Fagn. loc. cit. num. 16. Cum enim quaesitum fuerit: « An Canonici Regulares de licentia sui Generalis possint assumere curam animarum tam ad tempus, quam perpetuo? Die 8. Jul. 1581. Sanctissimus Dominus Noster Gregorius XIII. noluit licere istis Regularibus etiam de licentia sui Generalis absque permissu Summi Pontificis assumere Curam etiam ad tempus, multoque minus Beneficium Curatum in titulum. » Et subinde, « cum Canonici Regulares Lateranenses peterent, ut sibi liceret cum licentia sui Generalis obtinere Beneficia Curata in titulum, vel ad tempus, et res a Congregatione delata esse ad Sanctissimum, Sanctitas sua avertit. » (42. Quod Clemens VIII (ut refert Pignat. d. consult. 44. num. 25. et Nicolius in Flosculis verb. Regulares num. 25) mandavit inviolabiliter observari, non obstante, quod id fortasse per Sacros Canones permitteretur Canonici Regularibus, praeterquam translatis, ut censuit eadem Sacra Congreg. in Cremon et Taurinen. allegatis. Quare cum hic casus die 15. Maii 1655. fuisset iterum propositus, eadem Sacra Congregatio persistit in Decretis, Canonicosque hujusmodi ad Concursum admitti vetuit; ita quidem ut super hoc eorum Generalis nequeat dispensare, ut jam declaravit 25. Augusti 1628.

(43. Et de expressa mente, et auctoritate Clementis X. hanc Canonice Regularium incapacitatem ad Parochiales cum universali derogatione omnium privilegiorum, indultorum, consuetudinum etiam immemorabilium pronuntiavit Sac. Congregatio Episcoporum, et Regularium in Decreto, ut sequitur:

« Cum fel. record. Greg. XIII. aliique nonnulli Summi Pontifices Successores, ad Regularem disciplinam in Congregatione Canonice Regularium Lateranensium Ordinis Sancti Augustini magis, magisque firmandam Decretis suis mandaverint, ne dicti Canonici Curae Animarum in Ecclesiis saecularibus exercenda, juxta Constitutionem Innocentii III. recol. mem. incipien. Quod Dei timorem, etc., caeteroquin capaces ad hujusmodi curam in praedictis Ecclesiis exercendam admittantur, quorum Decretorum observantiam retinendam esse non semel declaratum fuit: Asserentibus vero e contra quibusdam dictorum Pontificum mentem adhuc fuisse certa, perpetua Lege lata. Innocentianam Constitutionem prorsus abrogare, sed immo illorum decreta, seu mandata cum ipsis expirasse; ac propterea pro diversitate temporum diversas forsitan editas fuisse declarationes, et interpretationes, et nec uniformem servatam praxim. Ideo ex praedictis non infrequentes

dubitationes et controversiae subortae noscantur, ob quas Religiosa quies perturbari facile posset accuratius in hoc sacro Ordine custodienda; cum illius Apostolica instituta primariam disciplinam ac Sanctimoniam antiquorum Clericorum imaginem et symbolum referant, quibus ipsa nascentis Ecclesiae primordia florebant.

« Quapropter ad hujusmodi dubitationes explicandas, et controversias definiendas, atque ut magis accurata disquisitione eorum Canonice Regularium spiritus, et vocatio dignoscatur, qui dum in tranquillitate Montis Sion Coelestium contemplatione suavissima pascuntur, ad frangendum in valle lacrymarum panem parvulis (videlicet in Claustro ad regimen descensuri Parochialium) invitantur: Sacra Congregatio Eminentiss. et Reverendiss. S. R. E. Cardinal. negotiis, et Consultationibus Episcoporum, et Regularium praeposita, et re mature examinata, atque audite P. Procuratore Generali dictae Congregationis Lateranensis, speciali sibi auctoritate per Sanctissimum Dominum Nostrum Clementem Papam X. viva voce Oraculo attributa, declarat atque discernit: Ut in posterum futuris perpetuis temporibus nemo ex Canonice Regularibus Sancti Augustini Congregationis Lateranensis quamvis non translatus, ad curam animarum in Ecclesiis saecularibus etiam de Jure patronatus in perpetuum, seu ad tempus, quocumque titulo exercendam admittatur; nisi praeter Abbatis Generalis licentiam, expressum quoque Sedis Apostolicae Indultum accedat. Quod juxta Sacrorum Ministrorum penuriam, et prout Animarum postulabit utilitas, in contingentibus casibus concedatur; ita ut quaelibet collatio, institutio et deputatio in favorem hujusmodi Canonice Regularium aliter, facta irrita prorsus atque inanis censeatur, et sit. Ac nulla etiam triennali longior possessio iisdem suffragetur. Canonice vero, cui ejusmodi concessum fuerit indultum ad mentem praefati Innocentii III (si commode fieri possit) socium unum ex suo Ordine, et Congregatione secum habeat, cujus in iis, quae Dei sunt et Regularis observantiae tam consortio, quam solatio perfruatur.

« Non obstantibus quoad supradicta omnia et singula in praesenti decreto contenta, supra dicta Constitutione Innocentii III. aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis necessario, et individue exprimentis: Nec non, etc., statutis formula professionis in eo ordine et Congregatione emitti solitae, consuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, Indultis, et privilegiis, etiam in corpore Juris clausis, etc., necnon irritantibus Decretis, etc., quibus quo ad ea, quae presentibus adversantur, eadem Sacra Congregatio Sanctitatis suae auctoritate specialiter, et expresse derogat, etc. Datum Romae hac die 18. Martii 1671. »

F. M. Cardinalis Brancatius.

Loco ✕ Sigilli

C. de V. Archiep. Athen.

(44. Licet autem hoc Decretum de mente, et expressa auctoritate Clementis X. edi-

tum, videatur respicere solos Canonicos Lateranenses, tamen vere et realiter hanc incapacitatem ad Parochiales habent omnes alii Canonici Regulares; tum ratione supra laudati Decreti Gregorii XIII. loquentis indefinite de omnibus Canonice Regularibus, ibi: « An Canonici Regulares... Noluit licere istis Regularibus. » Cum etiam ratione ipsius Decreti jussu Clementis X. editi, omnium Canonice Regularium comprehensive communiter intellecti, et signanter a Rota in Leodiensi Parochialis 2. Decemb. 1693. in § finali, ubi firmat: Decretum praefatum Clementis X. indefinite procedere quo ad omnes Canonicos Regulares facta, mentione de Lateranensibus demonstrative tantum, cum Congregatio istorum sit omnium praestantissima, et concurrat in omnibus eadem ratio consulendi pristinae, et laudabili disciplinae Regularium, quae vere unica reperitur in Claustrorum parietibus. (45. Immo nedum haec ratio a Decreto adducta est omnibus Canonice Regularibus communis, sed insuper fortius amplectitur reliquas Congregationes Canonice Regularium, quae habent majorem regularitatem, quam illam Lateranensium, quae magis Clericorum speciem refert, ut Card. de Luca de Praeeminent. dis. 24. per tot. Card. Petra tom. 2. Comment. ad Constit. 1. Anastasii IV. sect. 1. sub. n. 40. (46. Tum quia hanc omnium indistincte Canonice Regularium incapacitatem ad Parochialium Concursus jam expresse pluries declaravit Sacra Congregatio Concilii, et signanter in Brixiensi 15. Maii 1655. lib. 19. decret. pag. 468. ibi: « Quaesitum fuit an Regulares Congregationis Canonice Regularium Lateranensium Sancti Salvatoris, Sancti Georgii in Alga, et cruciferorum sint admittendi ad Concursum Ecclesiarum Parochialium saecularium, praesertim quando habent licentiam proprii Generalis. » (47. Sacra Congregatio Concilii respondit negative et dandas esse declarationes jam editas. (48. Et de facto fuit requisita facultas d. Sacrae Congreg. Concilii die 23. Augusti 1692. in una Ferrariensi pro uno Canonice Regulari Sancti Salvatoris, non obstante quod dictus Canonice praetenderet se esse capacem sine alia dispensatione Sacrae Congreg. Et non obstante quod anno sequenti dicti Canonice Regulares S. Salvatoris exposuissent dictae Sacrae Congreg. in una Placentina Praesentationis: se non esse comprehensos nec in Decreto Clementis X. nec in aliis huc usque emanatis prohibitionibus, et contenderent de licentia proprii Generalis absque Sedis Apostolicae Indulto ad Parochiales Ecclesias vacantes concurrere, et de illis provideri posse in eadem causa sustinerent. Nihilominus Sacra Congreg. Conc. ad quam causa erat delata, sub. die 14. Novemb. 1693. respondit: « Uniantur decreta, et causa proponatur formiter auditis omnibus Procuratoribus Generalibus omnium Canonice Regularium, et interim cum Sanctissimo pro concessione Indulti ad favorem Patris de Georgii praesentati cum clausula, quatenus opus sit. » Et exinde sua fundamenta in Sacra

Congregatione formiter producta apud majorem partem Eminentissimorum Patrum tunc in Sacra Congregatione sedentium, fuerunt habita tanquam nullius ponderis, uti sibi retulisse Eminentissimum Petrucium, tunc ibi sedentem testatur Monacell. tom. 1. in Appendice ad Formularium Legale practicum in annot. ad d. Decretum Clementis X. n. 4.

(49. Tum etiam quia, si quam militaret ratio pro aliqua Congregatione Canonicorum Regularium pro capacitate ad beneficia Curata, deberet potissimum esse pro præstantissima Congregatione Lateranensium, cujus canonici in eorum professione promittunt Beneficia Curata extra Ordinem non suscipere absque licentia Capituli et Generalis. Unde si istis est dempta talis capacitas ad beneficia Curata non obstante ipsa formula professionis, ut patet ex supra laudato decreto jussu Clementis X. edito. ibi: « Non obstantibus, etc., statutis formula professionis in eo Ordine et Congregatione emitti solita, » etc., a fortiori erit dempta talis capacitas ad Beneficia Curata aliis Canonicis Regularibus, qui non habent similem formulam Professionis. (50. Et hanc incapacitatem ad Beneficia Sæcularia Curata comprehendere omnes Canonicos Regulares cujuscumque sint Congregationis, tenent Fagnan. in dict. c. *quod Dei timorem* 7. de statu Monachor. num. 16. et 17. et sequent. Pignatell. tom. I. consult. 44. a num. 14. usque ad fin. Barbosa in d. c. *Quod Dei Timorem* num. 3. et lib. 3. Juris Ecclesiastic. n. 80. ad Trid. sess. 14. c. 11. n. 5. Nicolius in floscul. verb. Regul. n. 25. Garcias part. 7. de Benefic. c. 10. n. 33. Tondut. qq. Benefic. tom. 1. c. 80. per tot. Quarat. verb. *Canonicus Regularis*, Maranta resp. Juris tom. 4. c. 89. num. 35. Pignatell. in observatione ad Laurentium de Franchis, q. 86. ubi testatur de observantia in praxi, Corrad. in praxi dispensationum lib. 6. cap. 1. num. 13. vers. At vero Ego; Capon. disceptat. form. 108. n. 77. Passerin. in c. cum. de Beneficio num. 3. de Præb. et dignit. in 6. Card. de Luca postquam contrarium innuerat, hanc veritatem fatetur in disc. 64. et 65. de Benefic. et de donationibus disc. 25. n. 6. Monacell. loc. cit. Card. Petra loc. cit. num. 39. et alii passim; et firmavit Rota in Novariens. Prob. 15. Junii 1693. § *Nec adversari coram Reverendissimo Manuel.* confirmata 2. Decembr. ejusdem Anni, et in Leodiens. Parochialis 11 Decembr. 1693. in § final. Vide verb. *Habitus* num. 69.

(51. Canonici Regulares omnes, multo magis absque speciali dispensatione Apostolica, sunt incapaces ad obtinenda Beneficia sæcularia non Curata, nempe Canonicatum in Collegiata Ecclesia sæculari, aut Beneficium simplex. (52. Hoc enim etiam Jure veteri prohibitum erat, textu expresso in c. 16. Placuit quæst. 1. ibi: « Nec ad Ecclesias sæculares transire; » et clarissime in c. Super eo, de Regularibus, ibi: « Nec amplius in Ecclesiis sæcularibus debent assumi, ne contra votum, quod Domino fecerunt,

venire probentur. » Et sic expresse declaravit Sacra Congreg. Concil.: « Regulares sunt incapaces Beneficii simplicis, etiamsi essent Canonici Regulares, » ut refert Garcias. cit. c. 2. part. 7. cap. 10. n. 31. (53. Et ita etiam in canonico Regulari alias respondit Gregorius XIII. Nam cum dubitaretur an canonicus Regularis esset capax Beneficii simplicis, Sacra Congregatio dixit videri incapacem, quia Cap. *Quod Dei timorem* loquitur de Parochiali: agendum tamen cum Sanctissimo. Die 23. Julii 1578. Sanctitas sua dixit, licet Tridentinum Concilium non prohibuisset Regularibus obtinere sæculare Beneficium, et concilium Lateranense sub Leone ad concordata tantum restringeretur, tamen Jus commune obstare, quod non nisi in Parochialibus dispensat d. c. *Quod Dei timorem*. Hic autem agitur de simplici; sic refert Fagnan. loc. cit. n. 19. (54. Et anno 1695. cum Carolus Radosnenaschi Canonicus Regularis obtinuisset a Capitulo Generali facultatem consequendi omnia Beneficia, Canonicatus, et Prælaturas in quacumque Diœcesi Regni Poloniae, et a Sacra Congreg. peteret confirmationem hujusmodi facultatis; Sacr. Congr. Episcoporum et Regularium Die 7. Julii 1685. petitam confirmationem concessit, quo ad Curata tantum ad formam Sacrorum Canonum et Constitutionum Apostolicarum, eo quod raro permittatur dispensatio ad simplicia Beneficia, ut monet Card. de Luca in adnot. ad Conc. Trid. disc. 13. n. 7. et etiam dixit Sacr. Congr. Conc. in Taurinensi 1. Septemb. 1603. et 24. Aug. 1617. Et sic tenent Hostiens. in summa de statu Monachor. § *Utrum populum*; Joann. Calder. in d. c. *Quod Dei timorem*, Card. ibid. in 5. quæst. num. 14. vers. *Si autem assumitur ad Canonic.* Feder. de Senis. cons. 136. Factum tale est sub num. 4. vers. sed fortius obstat; Fagnan. in d. c. *Quod Dei timorem*, num. 19. Petra loc. cit. n. 34. et omnes supracitati sub num. 50. (55. Unde hæc incapacitas Canonicorum Regularium ad quæcumque Beneficia sæcularia efficit, ut si obtineatur aliquod Beneficium ab ordinariis absque dispensatione Apostolica, ipsa institutio sit ipso Jure nulla secundum Regulam 43 Cancellariæ, et possit denuo uti vacans impetrari per alium, ut innuit Gonzal. in cit. cap. *Quod Dei timorem*, de statu Monachor. in fin. Petra loc. cit. num. 42. Riccius decis. 49. per tot. part. 1. Garcias. de Benefic. part. 7. c. 10. n. 2. et sequent. Laurent. de Franchis de contro. inter Episcopos: et Regul. p. 2. q. 86. Marc. Anton. Macerat. var. resol. l. 1. resol. 20. num. 12. et alii passim; et supponitur a Rota in Leodiens. Parochialis 4. Julii 1692. et 11. Decemb. 1693. coram Pio. Et ratio est clara, quia actus remanet nullus in prima provisione, ex quo Beneficium semper remanet vacans, et expresse hoc statuitur in supra laudato Decreto Sacr. Congr. de expressa mente et auctoritate Clementis X edito, § *Qua propter*, ita ut possessor neque triennali possessione posset se tueri, ut expresse

ibi cavetur, his præcisus verbis, ibi: « Ita ut quælibet Collatio, institutio et Deputatio in favorem hujusmodi Canonicorum aliter facta, irrita prorsus atque inanis censeatur, et sit, ac nulla etiam triennali longior possessio eisdem suffragetur. » (56. Et novissime Benedictus XIV, re prius mature discussa, Const. incip. *Quam inscrutabili*, consilio atque motu proprio expresse declaravit ac definiit Canonicos Regulares incapaces esse cujuscumque Beneficii Sæcularis, aut Pensionis Ecclesiasticæ absque dispensatione Sedis Apostolicæ. Videatur ipsa Constitutio, in qua multa ad rem habentur et statuuntur merito legenda, et omnino servanda.

(57. Possunt tamen Regulares, et a fortiori ipsi Canonici Regulares assumi in Parochias sine dispensatione Apostolica in Parochiis eorumdem Monasteriorum, vel membris omnimode illis subjectis, ita ut titulus sit amovibilis, et Regularis. *Est communis*, et testatur praxis ubique recepta, quod in Parochialibus etiam extra Claustra plenarie unitis unione subjectiva eorum Monasteriis deputent pro Cura Regulares amovibiles ad nutum suorum Regularium Superiorum. (58. Et posse sic deputari Regulares in Parochias dictarum Parochiarum pluries probavit Sacr. Congr. Concil. et signanter in Auriens. 1693. de Mense Maii; et in Mechinen. 28. Novemb. ejusdem anni 1693. (59. Nec possunt cogi ipsi Regulares deputare Sacerdotem sæcularem in simili Parochia subjective unita ipsorum Monasterio; Sacra Congregat. Conc. in Regiensi 7. Februarii 1705; sed libere sine alia dispensatione possunt regulares Superiores in similibus suis Parochiis deputare pro Parochiis suos Religiosos ad eorum nutum amovibiles. (60. Nec ipsi Religiosi ad exercitium talis Curæ seu Parochiæ deputati possunt reclamare, si ab ipsis removeantur, ut censuit Sacr. Congreg. Concilii in Romana 17. Decemb. 1689. (61. Neque possunt congruam pro Curato sæculari taxatam a Monasterio petere, nisi quantum indigent ad propriam et onerum Ecclesiæ sustentationem, et totum id quod superest debetur fideliter a Curato Religioso suo Monasterio, cum ipsi, et non sibi acquirat; cap. *Nolo* 10. cap. *Non dicatis* 12. caus. 12. q. 1. cum concordant. et Authent. Ingress. C. de Sacros. Eccles. Et sic auditis partibus, et causa bis proposita respondit Sacr. Congreg. Episcop. et Regularium in Mediolanensi Congruæ 4. Septemb. 1693. et 4. Martii 1694. Contra N. N. Monachum Cisterciensem Curatum deputatum Parochiæ Fellenechiæ Grancie Monasterii Murimundi, proponente Eminentissimo Cardinali Petruccio.

(62. Alia ad rem, Vide verb. *Beneficium*, etc., art. 1. n. 15. et verb. *Canonici Regulares*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(63. An exclusio a Concursu operetur nullitatem ipsius concursus independentem a reclamazione exclusi, non levis quæstio est.

(64. Negavit Rota, et quidem raro exemplo, respondendo contra informantem in Tarraconen. Parochialis 10. Novembris 1634. coram Pancirol. impress. apud Pignatell. Consult. Canonic. tom. 1. consult. 1.

(65. Impetraverat enim quidam Jacobus Torcorella quoddam Beneficium Parochiale hoc ex capite, quod in ejus collatione non fuerat servata forma Concursus, præscripta a Concilio Tridentino sess. 24. cap. 18. de Reformat. et a notissima Constitutione Piana: « Ad ostendendum autem (sunt verba Decisionis § 2) quod non fuerit servata forma Concursus adducit quod Antonius Gual non fuerit admissus ad examen, licet comparuerit, et protestatus fuerit pro admissione. » At Rota censuit: « quod ommissio alicujus ad examen (sunt verba Decisionis § 7) non est contra substantialem dispositionem Concilii, sed debet examinari de justitia, et si non examinaretur, potest agi de contemptu, non autem quod examen sit nullum, ipso non reclamante, ut in simili dicitur de vocatione Absentium ad electionem, quorum contemptus, ipsis non reclamantibus, non vitiat electionem. (66. Hæc igitur ommissio non est de forma Concilii, sed de justitia, quum de forma illud solum censeatur, quod est adinventum ab ipso Concilio, non autem quæ ab aliis Canonibus prius disposita erant. Sed remanent in suo robore. (67. Secundum vero Canones antiquos licet Episcopus tenebatur eligere digniorem, (68. si tamen illum omittebat, et eligebat dignum, provisio sustinebatur. Concilium autem solum innovavit, ut fiat Concursus, et Episcopus eligat digniorem. (69. Unde si Episcopus rejecit unum, et non vult illum examinare, male fecit, et ille potest dare de contemptu, non autem provisio est nulla, quia secundum Canones antiquos non erat nulla. »

(70. At re novissime delata ad idem Sacrum Tribunal Rotæ, in ea ipsum videtur fuisse sententia, ut exclusio alicujus a Concursu nullitatem ipsius concursus operetur etiam independentem a reclamazione exclusi, ita ut possit Beneficium impetrari ob non servatam formam concursus. Vide Decisionem in Monopolitana Præbendæ Theologalis 25. Junii 1736. Coram R. P. D. Stadion.

ARTICULUS III.

Concursus quando, ubi, et quomodo faciendus.

(1. Eveniente alicujus Parochialis Ecclesiæ vacatione, debet Episcopus statim illius Vacationis habita notitia, si opus fuerit idoneum in ea Vicarium cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore provideatur; textu expresso in Concil. Trident. sess. 24. cap. 18. de reformat. ibi: « Debeat Episcopus statim habita notitia vacationis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec de Rectore provideatur. » (2. Verba autem illa *si opus fuerit* addita